Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Reden und Arbeiten der Societas Latina - Cod. Karlsruhe 3420, 1-4

57 Reden der Societas Latina - Cod. Karlsruhe 3420,3

Molter, Johann

[Karlsruhe], 1783-1800

[...]: Moribus hominum orationem habuit, 19 Febr 1797

urn:nbn:de:bsz:31-99849

Visual Library

De
Moribus hominum
orationem habuit
Carolus Autenrieth. Sprad. A.
d. XIX ante Calend. Febr. 1797.

26 Nov. 96

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

Director gravissime,
Socii ornatissimi!

Quam felix, quam amoena, imo vero quam beata esset vita si attentiores ad nostras res, nostramque naturam essemus. Non parvum autem est vitium quod quidam nimis magnum studium, multamque operam in res obscuras, leves, easdemque non necessarias conferunt. Persequimur omnes fibras telluris, eruitur aurum et argentum, atque in sede manium opes quaerimus; vanis atque inutilibus artibus studemus, quae vero ad nostram pertinent naturam parvi ducimus. Quid autem nobis propius, quam homo homini? quid nobis magis consentaneum, quam homines eorumque

mores et naturam noscere? quid cognitione hominis homine dignius? Operae ergo pretium esse de homine ejusque moribus et natura loqui nemo erit, qui dubitet. De quo etiam, in quantum enim ad hoc meae valent vires, dicere experiar. Suscepisse me onus perquam grave, haud ignoro; quamquam autem hujus thematis rectam tractationem meas infirmas vires longe superare, multoque minus ad hoc quantum est exhauriendum et absolvendum me sufficere, mihi est persuasum; tamen quaedam, quam maxime possum ordinate exponere conabor, Vos tantum me propitiis auribus accipiatis, precor.

Primum de utilitate cognitionis hominum loquar; deinde quantum inane inter

se discrepant ac dissentiunt mortales, ut ostendam operam dabo; tunc contra quibus in rebus homines sibi consentiunt ac congruunt paucis dicam.

Omnibus in negotiis, in unaquaque re, quam tractamus, omni in arte, cui studemus, rerum tractandarum cognitione opus esse nemo ignorat; quâ rerum notitiâ si careremus nec unquam recte facere atque agere possumus; maximam autem nobis adfert utilitatem instructi si ea fuerimus. Quanto plus homini hominis cognitio utilitati sit, homo hominem cognoscat necesse est? cum quo quotidie agimus, quo semper utimur, quorum intime sumus conjuncti, in quo etiam praecipua nostra negotia, actiones, conversationes, colloquia, imo omnis nostra vita versantur. Nobis

quoque solis nati non sumus, ortusq; nostri partem patria vindicat, partem amici; atque homines hominum causa sunt generati, ut ipsi inter se, aliis alii prodesse possent. Nam vi rationis natura hominem conciliat homini ad vitae societatem: ingeneratque inprimis praecipuum quendam amorem in eos, qui secum sunt; impellitq; eum ut hominum coetu et celebrationibus gaudeat. Igitur cognitionem hominum ad recte secureque imo ad beate vivendum necessariam ducimus, et hominem noscere hominis naturae est aptissimum utilissimumque. Quae quoque cognitio in hominum usu maximo nobis comodo est, nam ut multum discere, melioresq; nostros mores reddere possumus, si cum bonis atq; integris hominibus nos conjungimus;

ita nostris moribus valde sunt exitiosi, ac vitiis nos inficere solent pravi ac corrupti. illi nunc ad societatem et amicitiam sunt eligendi, hi aversandi; hic vero adhibenda est maxima prudentia et sollicitudo. Inveniuntur enim, qui auctoritatem boni ac gravis viri prae se ferant, et habitu et ore ad exprimendam honesti imaginem exerciti, ceterum animo perfidiosi et subdoli, avaritiam et libidinem occultantes. multi quoque sunt, qui, quum maxime fallunt, id agant ut boni viri esse videantur. Tales homines, sub persona viventes, callide se dissimulant et caute est agendum, si cum iis vivimus, ne nos circumveniant, atque eorum falsas artes indagare maxime necesse est. Qui vero adversus versutorum

hominum fraudes securos nos reddere possumus hominum et artium et insidiarum ignari? Saepissime, magnas et arduas res dum gerere cupimus et conamur, pervertuntur omnia, nobis hominibus utendi imperitis; contra autem plurima prospere nobis succedunt, si homines recte tractare scimus. Ambitiosum saepe blanditiis, nam et honestis viris blandis verbis, modo ne indecora ac probo viro indigna sint, uti licet; avarum opes acquirendi spem faciendo; fortem ac gloriae cupidum si quid magni atque elati gerendi occasionem ei ostendimus, atque alium alio modo, dummodo cujusque naturam noscamus, nobis conciliare possumus, et facere ut nobis faveat in agendis et gerendis negotiis. contra autem nobis alienissimos ac vehe-

menter iratos saepissime facimus homines si peccamus in id, quod iis cordi est, quod tamen, nonnulla adhibita diligentia curaque haud difficile evitari potest, et comitate et obsequendi gratia aliis nos celeriter insinuamus. Mores quoque hominum, quibuscum vivimus, exprimendo, eorumque consuetudines, in quantum non noceant, imitando favorem eorum nobis conciliamus atque efficimus ut nos caros habeant. Quibus rebus effecit Alcibiades, ut, apud quoscunque fuit, princeps poneretur haberetur que carissimus. In ambiguis et dubiis temporibus prudentiâ solâ, et quid aliud est prudentia quam hominum cognitio, nos servare atque ex gravibus procellis ad incolumitatem possumus pervenire. Quod de Pomponio Attico accepimus:

In tumultuosissimis Romanae reipublicae temporibus vivens, incidit enim caesarianum civile bellum, quod alii civiles tumultus secuti sunt, tamen, quanquam et Caesaris et Ciceronis et Bruti fuit familiarissimus, ita in republica versatus est, ut neque hujus neque alterius sequeretur partes, nec unquam civilibus fluctibus se committeret: et quo tempore tanta fortunae fuit varietas, ut modo hi, modo illi in summo essent aut fastigio aut periculo, secure ac plerumque tranquille aetatem transegit Atticus.

Si autem in privatis negotiis atque in otio hominum cognitione valde opus est, quanto plus in publicis negotiis, si quis coram populo agere vult: nonne is hominum et moribus et animis optime se instruat, oportet? Ita veterum legis-

latores, ut populus artius ac firmius legibus ab iis latis teneretur, eas leges a Deo quodam accepisse saepe praetexerunt, prudenter populi religione utentes. Quod quoque Spartanis leges instituens fecit Lycurgus. Quae leges quoniam primo, solutis antea moribus, durae ei videbantur, auctorem earum Apollinem Delphicum finxit, et inde se eas ex praecepto numinis detulisse, quod fecit ut consuescendi taedium metus religionis vinceret. Praeterea hominum mentes noscere praecipue utile est oratori, cujus est proprium auditores ducere in id, quod velit. Omnis enim orator et scriptor vult persuadere, nec placere parum ejus interest, vult tandem quoque saepissime animos auditorum movere, flectere, incitare: quomodo autem

hoc fieri potest, quomodo ad hominum et intelligentiam et gustum se accomodare potest, ni humanas mentes intelligit, neque ipse intelligitur? Ut magis insuper hominum cognitionis utilitas appareat, quid dicam de iis, qui regnant ac populis jus dicunt; quid de imperatoribus et ducibus, qui copiis et exercitibus prae-sunt? Quae tamen omnia praeteream, nam totos dies de hominum cognitionis utilitate consumi possint dicendo, et hujus thematis difficilius est exitum quam principium invenire, ac non tam copia, quam modus in dicendo quaeren-dus est. Pauca tantum adjiciam. Hominum usus et consuetudo crebram nobis dant occasionem humanae mentis rationem, vires, imbecillitatem indagandi. hinc fieri

videmus, ut, quo quis diutius, in cognoscendis hominibus versatus est, idque cum diligentia, et sollicita cura et ingenio, nec enim negandum est, ingenio bono opus esse, ad mentis humanae vires explorandas, ut eo magis etiam ille ad sapientiam accedat. Nam in hominum consuetudine cognoscimus eorum studia et labores, animi et corporis vires vota et cupiditates, vitia et virtutes, stultitiam ac prudentiam, quae magna ac parva ducunt, quae petunt et abhorrent, et alia hujuscemodi omnia, quae ad nostram pertinent naturam. Quare ex hominum usu sapientiam et vitae et philosophiae praecepta velut ex fonte nos haurire confirmaverim; ex quo praeterea discimus cui studendum ac quid imitandum, quid omitten-

dum et fugiendum in nostra vita. Cernentes enim hominum vanitatem et stultitiam, iis vitatis, bona atque honesta sectamur, melioresque tunc nostros reddere possumus mores. Cavendum tamen est, ne nimis magnum pretium in hominum opinionibus de nobis ponamus, multum sane interest, quomodo alii, sed boni et sapientes, judicent de nobis, stultum autem foret stultorum et vilium et nequissimorum hominum rationem habere. Aliquis autem vir bonus nobis eligendus est at semper ante oculos habendus; ut sic tanquam illo spectante vivamus; et omnia tanquam illo vidente faciamus. Inspicere, inquit Terentius, tanquam in speculum in vitas omnium jubeo, atque ex aliis sumere exemplum sibi. Satis de utilitate hominum cognitionis dixisse arbitror, jam ad reliqua pergam.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

In cognoscendis hominibus si versamur, ac eorum cognitioni studemus, quantum discrimen, quantam diversitatem adspicimus inter homines; alius aliud petit ac cupit, alius alia re trahitur, alius aliter sentit ac cogitat. Sed unde oritur ista hominum diversitas? variis et multis est causis: a natura jam homines sunt valde diversi, alii in hoc, alii aliis in rebus praecellunt, alius alio melior a natura est instructus ornatusque, et ut in corporibus magnae dissimilitudines sunt, sic in animis existunt etiam majores varietates. Quam naturalem diversitatem aliae accedunt causae; sic multum pendet ab educatione utrum liberalior an humilior sit, utrum diligente ac indulgente an negligente ac duro patre homo utatur, facile enim nos ad parentum similitudinem conformamus;

et a teneris consuescere multum est. Non parum quoque a fortunis pendet, nam aliud est ingenium in egestate aliud in divitiis educati. Praeterea tempora ac reipublicae status, in quo vivimus, faciunt ut differant homines. Tempora enim in quibus homo est natus educatusve, sunt aut illuminata, aut illiterata atque obscura, aut malis moribus corrupta: nunc quoque hominis animus aut scientiis et artibus erigitur, aut vanis stultisque opinionibus et prava opprimitur superstitione, aut inficiuntur sua vita et mores. Maximam autem adfert diversitatem reipublicae status, et multum, imo maxime interest in libera civitate, an sub tyranno vivat homo. Libera republica ubi nemini opus est alterum timere vel adulari,

ingenium civium, ad quodcunque vult, se erigit; dicit quisque libere, quidquid sentit; neminis beneficiis valde obligatus, nec obligatum iri sperat. Libere vero sentiendi potestas ingenia vehementer acuit alitque et ad praestantissimum quidque proferendum viam sternit. Sed longe aliter sub tyranno: expelluntur sapientiae professores, atque omnis bona ars in exilium agitur, et adempto per inquisitores et loquendi audiendique commercio, memoriam quoque ipsam, ut Tacitus ait, nobis raperent, si tam in nostra potestate esset oblivisci, quam tacere. Ita ingeniis studiisque oppressis, omnis bona ars exstinguitur. Quid mirum! homines sub saevis tyrannis viventes, aliter cogitare ac se gerere, quam qui in civitate, ubi veritatem loqui,

cuique licet, aetatem agunt.

Tam variae multaeque sunt hominum diversitatis caussae, longe autem frequentiora discrimina ipsa; nam ubique haec varietas apparet, ubique contrarias ac diversas adspicimus opiniones. Alius hanc, alius illam et sectam et factiones sequitur, ac quorum consentire, unanimeque ad veritatem admiti, quorum ad bene et tranquille vivendum, ad felicitatem nos ducere officium esset, ii maxime dissentiunt, inter eos maxima est contentio, maximae sunt lites et rixae. Reperiuntur adeo, qui ullam esse veritatem omnino negent, ita unica, triste est dictu, vitae adminicula et fulcra subruunt, et semper in certamine ac dubio versantes Deo ac fortunae

ludibrio esse videmur. Quod vero maxime est dolendum homines non solum inter se differunt, sed homo sibi ipse parum constat, sibi ipse dissentit. Sic sapientiae praecepta et virtutes omnes fere homines laudare scimus et quotidie paene audimus, sed ut aeque sapienter agant, et praeceptis convenienter faciant nullus erit, qui confirmet. Homines aliter sentiant et cogitant, aliter agunt, et maximis semper laudibus virtutes ac veritatem tollentes raro tamen bene recteque se gerunt; fidem extollunt infidelissimi; non proficere sed conspici volentes et habitu et vitae genere et variis artibus quod non sunt, affectant. Multi in avaritiam, in libidinem, in ambitionem perorant, a quibus tamen omnibus ipsi

tenentur. Quam multos mortales falsos cognoscimus, aliud clausum in pectore, aliud in lingua promptum habent, magisque vultum quam ingenium bonum.

Ex qua hominum discordia et diversitate maxima et gravissima fluunt mala: simultates, persecutiones, proscriptiones, graves lites, cruentae rixae, horrida bella. Quamquam acerrimas pugnas concitant avaritia et gloriae et terras populosque regnandi cupido, atque alia hujuscemodi omnia quae mortales ad arma et certamina vocant; multo tamen vehementius orta ex opinionum diversitate saeviunt bella.

Licet vero intercedat magna differentia, tamen multis in rebus consentiunt homines. A natura jam sentimus, quid sit, quod

deceat in factis dictisque; aeque pulchritudinem, constantiam, ordinem in consiliis et factis conservandum putamus. Omnes nos quoque trahimur et ducimur ad scientiae cupiditatem, in qua excellere pulchrum, labi autem, errare, nescire turpe ducimus. Veritatis praeterea et magni atque elati amorem ac studium nobis tribuit natura; nec, qui magnanimos et sapientes viros, et magnas res gestas non admiretur, ullum esse puto. Stoicorum atque aliorum veterum philosophorum vitam perlegentes quanta admiratione afficimur? atque eorum praeceptis studentes multo elatiores, velut numine adflati, nobis videmur. Ex quo intelligitur homines non omnibus in rebus dissentire, ac communem recti amoenique et venusti sensum

nobis esse innatum. Parvulos quoque nobis dedit natura igniculos; ac sunt ingeniis nostris semina innata virtutum, quae si non restinguimus, ipsa nos ad beatam vitam natura perducit.

Itaque faciamus ut semper hoc naturae lumen apud nos appareat; naturae vestigia indagemus ac persequamur, nec ab ejus statu unquam discedamus, atque hominum et mores et consuetudines observando meliores nos reddere studeamus.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg